Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum I

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

conscribi non debuerunt quia per eos sumere utilitatem
sunt dictata. Quia secundum Augustinum probabi-
le est quod unusquisque evangelista eo se ordine credi-
dit debuisse narrare quo Deus voluit eius
recordationi suggerere. Ne tamen turbari possit
devotio parvulorum si ordine alio puta vel gesta
vel dicendi congruencia esse videbatur in pre-
tibus per ordinem situatur. Non tamen affirmo
quod hic sit verius ac certus et debitus rei geste
ordo descriptus quam talis vere ab aliquo reperitur
expressus. In ipso autem Evangelio reperies Verbi in-
carnati historiam, mandata et promissa in qui-
bus habes viam veritatem et vitam. Christi igitur
exemplo nascere quod bene vivere possis, preceptis
bene vivere scias, promissis bene vivere velis.
Hiis itaque tribus tria pulsari necesse est
scilicet impotencia ignorancia negligencia. Igno-
rans enim ignorabitur, negligens vero nes-
ciet, nequam simulator impotencie inebrio-
ciatur. Cogitare ergo anima Christo devota et
vigila omnibus Christiana et singula que de
Ihesu dicuntur diligenter discute, considera actum
de moribus pertracta et domini tui imitare vestigia.
Ille propter te de celesti sede descendit ad terrena,
tu propter te fuge terrena, appete celestia. Ei dulcis
est mundus dulcior est Christus. Ei amarus est mun-
dus omnia propter te sustinuit Christus. Surge et
ambula, noli proficere in via ne locum per-
das in patria.

Oratio

Domine Ihesu Christe fili Dei vivi, da
mihi fragili ut in prosperitate vitam
et mores tuos pacatis cordis semper ha-
bere et pro mea possibilitate imitari. Facque me
in spiritu proficere et crescere in virtute perfectum et
in templum sanctum in domino. Illustra queso
cor meum lumine gracie tue que me iugiter preveni-
at et sequatur ut te ductorem in omnibus viis
meis habens cuncta que tibi placent implere
et que tibi displicent vitare possim. Dirige ob-
secro cogitationes sermones et actus meos in
lege tua et preceptis atque consiliis tuis, o altissi-
me ut in omnibus voluntatem tuam faciens hic

et meream per te mereri salvus esse. Amen.

De divina et eterna Christi generatione capitulum primum

De plenitudine itaque evan-
gelii fonti scilicet bonorum quod
usque ad hoc tempus gracie
Dominus Ihesus servavit quasdam
guttas haurire cupientes
sumamus initium a divina
eius generacione de qua evangelista Jo-
hannes specialiter loquitur quod omnia ad hoc
induxit ut divinitatem Verbi manifestet
et maxime contra quosdam hereticos dicentes
Christum purum hominem esse et per consequens non fuisse ante
temporalem nativitatem nec ante
Mariam fuisse. Et ideo de eternitate Verbi
incipit ostendens divinam Christi naturam in qua
eternaliter precessit Mariam. Et ponit quatuor
de divinis personis que per ordinem consequuntur
in subditis. Primo declarat filii a patre
eternam generacionem dicens: In principio erat
Verbum, id est in patre apud deum. Quod ab omnibus suppo-
nitur primum principium necessario est Verbum
propter dictum tamquam in ipso auctore. Hic si dicatur
filius erat in patre per se coeternus. Non in
Maria incepit esse, sed in principio id est in pa-
tre qui est principium sine principio. Et filius qui est prin-
cipium de principio. Dicit autem Verbum Dei fi-
lium quem Ihesus Christus dominus noster quemadmodum
dicitur filius Dei sic et virtus et sapientia Dei.
Unum enim idemque significat cum dicitur
filius verbum virtus et sapientia. Sed ait
verbum non filius quod hoc nomen verbum
magis ad propositum facit quam filius.
Ubi sciendum quod vox significativa dicitur
verbum sed hoc est tantummodo large et de-
nominative inquantum significat interi-
orem mentis conceptum sicut urina dicitur
sana inquantum est sanitatis indicativa
et ideo sicut illa propter hoc dicitur sanitas quod
per urinam designat ita illud propter hoc dicitur
verbum quod per vocem significatur. Hoc autem
est interior mentis conceptus quod vocem

sic dicitur verbum dei sic et.

Sunt note et signa passionum que sunt in mente anime et ita conceptus mentis interior etiam antequam per vocem designetur proprie verbum dicitur. Cum ergo hoc nomen verbum significet vocem vocalem et que exit ab ore, significet et mentale quod a mente concipitur nec ab ea recedit cum emittitur, scilicet verbum conceptum secundum ultimam acceptionem hic sumitur ut per ipsum filius intelligatur. quippe quia a patre procedit per eternam nativitatem ac tamen cum eo et in eo permanet per eandem unitatem sicut cogitatio et conceptio mentis que a mente nata est cum ipsa permanet et ideo maluit dicere verbum quam filius. Cum igitur in ipso deo proprie et perfecte sit verbum. verbum autem de sua ratione dicat quod procedens ab eo cuius est verbum sicut conceptus a concipiente et cum verbum et filius sint idem sequitur quod ubi sit generatio filii a patre ex quo ibi est processus verbi a dicente. Et competentius describit filium dei sub nomine verbi quam sub nomine filii. quia filius solum dicit comparationem ad patrem. verbum vero dicit comparationem non solum ad dicentem sed etiam ad id quod per verbum dicitur nec non ad vocem quam induit et ad doctrinam que mediante verbo in altero efficitur. Cum igitur dei filius debet hic describi non tantum in comparatione ad patrem a quo procedit sed etiam ad creaturas quas fecit et ad carnem quam induit et documenta que prebuit congruissime et decentissime sub nomine verbi describitur quod nomen ad omnia supradicta respicit nec posset sub celo nomen ita conveniens inveniri. Secundo declarat patris et filii personalem distinctionem dicens Et verbum erat apud deum hoc nomen deus in hac clausula est personale. ut verbum erat apud deum id est apud patrem. Semper enim in patre filius semper in filio pater unde hec prepositio apud que est transitiva personarum et distinctiva distantia distinctionis personalis designat non essentie. Nulla enim res dicitur proprie esse apud semetipsam sicud nec aliquis est in se ipso et ideo inter verbum et principium apud quod est verbum est personalis distinctio. Non enim verbum procedit a patre per actionem transeuntem extra sed manentem intra et ideo verbum manet intus et cuius est verbum tamen ab eo distinctum. que distinctio est personalis ut iam est dictum. quod verbum erat apud deum. ut alius apud alium. Tercio declarat patris et filii consubstantialitatem sive substantie unitatem dicens Et deus erat verbum. ita quod hic deus ponatur a parte predicati dicendo verbum est deus nomina enim et verba transposita idem significant. Hoc nomen deus in hac clausula est essentiale ut verbum est deus id est natura et substantia divina. ne dicatur esse cum deo et non deus. Nichil enim in deo est quod deus non sit quia totus idem est et substantialiter idem. Et quamvis ergo verbum sit apud deum non tamen est aliquid extra naturam sicut est verbum nostrum sed est divine nature que indivisibilis est et non multiplicabilis. quia nullo modo potest esse nisi una et simplicissima. et ideo verbum et principium a quo est. sunt idem penitus in natura. quamvis ut dictum est distinguatur in persona. Et sic ista clausula implicat tres personas. Pater in hoc nomine deus. filius in nomine verbi. spiritus sanctus in copulatione apud. Quarto declarat patris et filii coeternitatem dicens hoc erat in principio apud deum. hoc scilicet verbum de quo locutus fuerat. erat apud deum patrem a principio eternitatis id est ante secula et eternaliter. quasi diceret hoc dei verbum numquam a deo patre extitit separatum. Numquam enim pater sine filio fuit. numquam sine verbo numquam sine virtute. numquam sine sapientia esse potuit. Patrem enim dicimus quia filium habet. cum hoc sit patrem esse quod filium habere. Et quia pater sed verbum dicit et incipit

Et ab eterno ergo verbum quod genuit dicendo
ut vere dicatur verbum in principio non quo
quo dictum est in principio creavit deus celum
et terram · sed in principio eternitatis · de quo
dicitur tecum principium in die virtutis tue in
splendoribus sanctorum ex utero et substantia
mea ante luciferum idest ante mundi creatio
nem genui te Unde quando dicitur ego hodie
no genui te intelligitur de die eternitatis que omnem
diem complectitur Et sic accipitur hic non quo
capitulum aliter quia supra · quia ibi accipitur pro pre
hic pro eternitate · Qualiter autem verbum
ipse pater genuit · quia solui non potest ·
no queri non debet Divina enim generatio est
omnino inenarrabilis · de qua dicitur Gene
rationem eius quis enarrabit Et ita et si
dicatur filius a patre genitus tamen qualiter
nec propheta novit · nec angelus ¶ Mora
liter docemur ex premissis quod principium omnis nostre
intentionis debet esse deus quia in principio
erat verbum et deus erat verbum ¶ Ter
tio (...) fiere de omni actione tua interiori
et exteriori verum sit divina et verum deus
eam operetur et per ipsum sit facta · vide si
finis intentionis tue sit deus Quod si sit
ita · actio tua est divina · quia principium et
finis idem scilicet deus ¶ Postquam ergo evangelista
declaravit ipsius verbi esse seu generari
Consequenter declarat suum agere seu o
perari et declarat unitatem operationis patris et filii
+ · scilicet quicquid a patre factum fuit et filio — individuam operationem dicens Omnia per ipsum
facta sunt + et sine ipso factum est nichil scilicet
a patre sensibile quod sive intelligibile
Siquidem omnia in sapientia fecit deus · et sine
sapientia nichil fecit · Creature enim producuntur
a deo sicut artificiata per artificem · omnium
enim est artifex · cum sit agens per intellectum
quod autem producitur per artem · seu intellectum
producitur per artis seu intellectus conceptum
sicut domus in re est producitur a domo que
est in anima verbum autem individuus
idem est quod conceptus intellectus divini ut
supradictum est ergo omnia per ipsum producta
sunt · tam spirituales · quam corporales cre
ature Hec autem prepositio per · notat hic causam no
efficientem non amminiculantem vel ministerium
vel instrumentum Ipse filius cum patre est
auctor omnium et similiter spiritus sanctus cum
eisdem · quia individua sunt opera trinitatis
Omnia ergo per ipsum facta sunt · ut nec
pater nec filius nec spiritus sanctus exclu
dantur Omnia simul et semel sunt facta sed no
· sex diebus quasi partes sunt distincta · Si ergo
omnia per ipsum facta sunt · verbum autem non
possit a se fieri vel per ipsum facere quod esse antequam
esset · sequitur quod ipsum verbum non sit factum
Et secundum Augustinum si factum non est cre
atura non est Si autem creatura non est
eiusdem cum patre substantie est Omnis enim sub
stantia que deus non est · creatura est et que
creatura non est · deus est hoc autem verbum no
nec sillabis constat nec voce profertur
semper in sinu · i · patris et corde patris manens ·
cuncta disponit · regit et operatur · Non enim
loquendo sed volendo · cuncta operatur deus quia
dicere dei voluisse est et dei dicere est verbo
· i · filio omnia creare ¶ Ostenso itaque quod
verbum sit causa productiva respondit
consequenter quo modo sit causa creaturarum dicens
Quod factum est scilicet in effectu in ipso scilicet
verbo vita erat et vivens sicut quater
faber prius facit archam in mente quam
in opere quod in mente est · vivit cum artifice ·
quod fit mutatur cum tempore · Non enim omnia
que facta sunt habent vitam nec sunt vita
in se · hoc est in natura sua · in qua sunt ut
creature ut cum (...) sunt in deo et arte
divina · que est vita · in se sunt vita quia ibi
habent exemplar et rationem viventem
no omnia namque que temporaliter fiunt vel fa
cta sunt · ab eterno fecit idest fieri dispo
suit · et antequam fieret · facta noverat
et in eius mente et providentia · et vivebat
et fiebat · quia omnia ante mundi initium

in ipso dei filio ymaginata erant et ut
postea fierent dispositum erat ac per hoc
quasi facta erant et vivebant ¶ Omnia autem
enim omnia que in dei disposicione sunt
quia sicut disposita sunt non evenire non
possunt Et sic patet modus per quem creature
procedunt a verbo videlicet sicut artificiata
ab artifice vel arte propter quod dicit
Boecius Tu cuncta superno ducis ab ex
emplo pulchrum pulcherrimo ipse mundum
mente gerens similique ymagine formans
Wor. Ita est hoc notandum quod opus virtutis est
opus vite sicud opera viciosa dicuntur opera
mortis opus autem virtutis sive opus
bonum nullus operatur nisi in deo Si vis
igitur scire an opus tuum sit vivum id est
si sit opus virtutis sive opus bonum et
divinum vide si sit factum in ipso scilicet
deo quia vita erat i. vitale et vivum est Inde eo
autem fit quod in caritate fit et quod est
deum et propter deum non habet movens nec
finem ¶ Ostenso autem qualiter verbum
se habeat ad omnes creaturas in ge
nerali consequenter ostendit qualiter se habeat
ad omnes creaturas i. homines in speciali dicens
Et vita erat lux hominum. unde raciona
les creature ut beate fierent illuminande
erant quia non deficit illustrare homines
per graciam super omnes irradiando si homo
facit quod in se est scilicet ad deum per cognicio
nem et amorem prout potest convertendo
in se i. q. et per quod creature vivunt ¶ Moraliter
vita bona est lux hominum quia plus illu
minat et edificat proximum vita quam
verba Unde Isidorus Multo plus intelligitur
quod oculis videtur quam quod aure percipitur
Et Seneca Longum iter per precepta breve
et efficax per exempla unde cepit Ihesus
facere et docere Et lux in tenebris lucet
i. in peccatoribus quia verbum quantum in se
est illustrat eos luce gracie si quia tenebrosi
sunt hoc est quia se subtrahunt ab influ
entia divine lucis sive verbi Ideo sequitur
Et tenebre eam non comprehenderunt quia
peccatores hanc lucem non senciunt
non propter lucis sed proprium defectum unde Augustinus
¶ Quomodo enim homo positus in sole
cecus presens est illi sol sed ipse soli absens
est sic omnis stultus omnis iniquus omnis
impius cecus est corde presens est sapiencia
sed cum ceco presens est oculis eius absens est
non quia illa ipsi absens est sed quia ipse ab
sens est ab illa Quid ergo faciet iste Mundet
unde possit videri deus peccata et ini
quitates tollere et videbis sapientiam quoniam
est quia deus est ipsa sapiencia et dictum est
beati mundo corde quoniam ipsi deum videbunt
Secundum ergo lux in tenebris lucet quia
dei verbum vita et lux hominum i. animarum
que per se informis quedam tenebrositas
invenitur lucere non desinit Et quoniam
ipsa lux omni creature est incomprehensibilis
tenebre eam non comprehenderunt ¶
Ubi nota quod triplex est comprehensio
scilicet per inclusionem per apertam visionem
per fidei et caritatis adhesionem Primo mo
do a nullo Secundo modo a beatis Tercio
modo a sanctis sed nullo istorum modorum a
malignis comprehenditur. ideo dicitur et tenebre eam
non comprehenderunt idest quia non fide nec
amore adheserunt ¶ Dicitur eciam aliud com
prehendi quando pervenitur ad fidem finem
cognicionis eius et hoc est quando res cog
noscitur ita perfecte sicut cognoscibilis est et sic
solus oculus divinus lucem hanc comprehen
dit et nulla creatura ¶ Moraliter lux in
tenebris lucet quia virtus lucet et
apparet in adversis et oppositis nam
virtus in infirmitate perficitur unde Gregorius
Nemo quantum profecerit nisi in adversi
tate cognoscit qualis enim unusquisque
apud se lateat illata contumelia probat
Et quia nulla adversitas potest supe
rare sanctos et separare a caritate Christi

i. quare hic dicitur quod factum est in ipso scilicet deo vita etc.

+ scilicet vita i. ipsum verbum quod est vita in se vivit et per quod creature vivunt erat lux hominum i. unde in. etc.

Et ideo dicit et tenebre ~~et tenebre~~ eam nō
comprehenderunt Bonum enim viri et si tan
gant adversitatibus nō tamen frangunt
aut cruciantur immo in eis gaudent et delectā
vel lux in tenebris lucet quando deus per con
solacionem illuminat hominis quem adversitas et tribula
ciones fatigant secundum illud Juxta ē dns
hiis qui tribulato corde et cum ipso sum in tribu
lacione et tenebre eam non comprehenderunt
quia non sunt condigne passiones huius temporis
ad futuram gloriam Semper enim deus remu
nō nerat supra condignum et punit citra con
dignum Lux in tenebris huius mundi lucet
quia creator in creaturis apparet sic enim
prout deus est speculum creaturarum in quo
creature relucent et in quo omnia videbimus
que ad gaudium nostrum competebunt sic in via
eciam creature sunt speculum creatoris
nō in quo creatorem nostrum speculamur quia
ut ait apostolus videmus nunc per speculum in
creaturarum in enigmate et obscure et in
visibilia dei a creatura mundi per ea que facta
sunt intellecta conspiciuntur deum enim esse nō
fides solum vera testatur scriptura sancta lo
quitur comparacio rerum ad ipsum indicat vox
dictat sanctique predicant verum eciam creature
clamant omnia namque suo modo ~~clamant~~
dicunt Ipse fecit nos et non ipsi nos quia
deus est actor nature qua omnia pulchra
testantur ipsum esse pulcherrimum dulcia dul
cissimum sublimia altissimum pura pu
rissimum fortia fortissimum et sic de aliis
Sane tamen audis in premissis filium ex
deo patre genitum caveas ne mentis tue
nō oculis insensim aliquid carnalis cogita
cionis occurrat qui potius columbinis et
aquilinis intuitu simpliciter crede ac spiri
lucem
tualiter contemplare quod ab illa simul
immensa et simplicissima fulgentissima
et summe eterna coeternus equalis
et consubstancialis splendor exoritur
qui est virtus summi et sapiencia et in quo omnia

pater disposuit ab eterno per quem fecit et
secula factaque gubernat et ordinat nō
ad gloriam suam partim per naturam partim
per graciam partim per iusticiam partim per mi
sericordiam ut nichil ita in hoc mundo inordi
natum relinquatur Unde Augustinus sicut
splendor ex substancia solis nascitur ita et filium
ex substancia patris genitum intelligimus
Et sicut nō est sol nec ignis prius splendore
suo licet ex ipso nascatur sed ex quo sol aut
ignis processit simul cum eo est splendor eius
apparuit nec dici potest splendor sole vel
igne posterior cum tamen ut dixi ex ipso
nascatur Si ergo in creaturis aliquid in
venitur quod et nascatur et posterius nō sit
genitore suo cur hoc a creatore fieri posse
desperes Sicut splendor ex sole natus
replet orbem terrarum et tamen a genitore
suo non abscinditur alibi nec recedit ita
ex
et filius a patre genitus ubique cum sit in patre
semper permanet Et sicut substancialiter sple
ndor in sole est et sol in splendore ita substancia
liter pater in filio et filius in patre est
Et sicut soli et splendori una substancia
dum sit non tamen communis persona quia nec
splendorem solem esse nec splendorem dicimus
solem Ita pater et filius cum sint comm(un)is essencie
non tamen sunt communis persone Et sicut sol
splendore calefacit et illuminat et siccat
et solvit et candidat et densat et omnia
que ei a deo sunt iuncta operatur ita et
patrem per coingenitum filium suum omnia
legimus fuisse operatum hec Augustinus Refert nō
eundem Augustinus hoc initium sancti ewangelii
quidam platonicus aureis litteris scribendum et
per omnes ecclesias in locis eminentissimis propo
nendum esse dicebat Oracio
Domine deus pater omnipotens qui
coeternum et coequalem et consub
stancialem ~~tibi~~ tibi ante omnia se
cula filium ineffabiliter genuisti cum quo
atque spiritu sancto omnia visibilia et

invisibilia ac me miserum peccatorem in anima creasti. te adoro te laudo te glorifico. esto propicius michi peccatori. et ne despicias me opus manuum tuarum. sed salva et adiuva me propter nomen sanctum tuum. opus manuum tuarum dextera corrupte carnalis fragilitati succurre. qui me fecisti refice infectum. et qui me formasti reforma corruptum peccatis. ut secundum magnam misericordiam tuam salves animam meam in secula Amen.

De creatore remedii pro salvacione generis humani et utilitate virginis marie

In principio cum lucifer creatus esset erexit se contra deum creatorem suum et in ictu oculi de excelso celo proiectus est in infernum et ob hanc causam decrevit deus genus humanum creare ut per ipsum posset casum luciferi et sociorum eius restaurare. Causa propter dyabolus homini invidens sibi insidiabatur et ad precepti transgressionem ipsum inducere nitebatur. Erat quoddam genus serpentis qui dicebatur [illegible] qui tunc erectus gradiebatur et caput virgineum habebat. In hunc fraudulentus deceptor intravit et per os eius loquens verba deceptoria mulieri narravit ac eam decipiens super omne genus humanum mortem induxit. Et oportebat nos carcerem inferni ingredi de quo non poteramus aliquo adiutorio eripi. Et tandem pater misericordiarum et deus totius consolacionis clementer respexit statum nostre dampnacionis et nos per principium liberare decrevit. super quo nobis signum per olivam dedit quam columba in archa inclusis afferebat. quia misericordiam dei futuram inclusis in limbo predicebat. Non solum enim hiis qui in archa erant misericordiam promittebat sed et toti mundo signum salutis in oliva dabat. Et hanc eandem deus promonstravit nobis in multis aliis figuris. In principio autem condicionis nostre adam

in agro damasceno vir ex limo de terra formatus et a domino in paradisum voluptatis translatus. ac eva in paradiso de costa ade dormientis facta ac pro comparte ei data. ipsisque parentibus in paradiso ad operandum et custodiendum collocatis. de hinc propter ligni vetiti esum per dictam peccati feditatem expulsis superna miseracio non desistit homines invitare ad bonum per occultos instinctus nec distulit hominem errabundum ad primam revocare spem venie dando per repromissum salvatoris adventum. Et ne forte per ignoranciam et ingratitudinem tanta dei dignacio nostre saluti foret inefficax. in quibus huius seculi etatibus per patriarchas iudices sacerdotes reges et prophetas ab abel iusto usque ad Iohannem baptistam filii sui adventum prenunciare repromittere et prefigurare non desistit. ut per multa milia temporum et annorum magnis et variis multiplicatis oraculis et intelligencia nostros sensus ad fidem excitaret. et affectus proxima et divina desideria inflammaret. Unde leo papa dicit. Cessent illorum querele qui de divina incarnacione tarditate causantur tamquam preteritis temporibus non sit impensum quod in ultima mundi etate sit gestum. verbi incarnacio hoc contulit facienda quod facta et sacramentum salutis humane in nulla umquam antiquitate cessavit. quod predicaverunt apostoli hoc annunciaverunt prophete. nec sero est impletum quod semper est creditum. Sapiencia vero et benignitas dei ac salutiferi operis mora capaciores nos sue vocationis effecit ut quod multis signis ac multis vocibus multisque misteriis per tot fuerat secula nunciatum in hiis evangelii diebus ambiguum esset minus. Et nativitas salvatoris tanto constanciorem in nobis gigneret fidem quanto predicacio eius antiquior precessisset et crebrior. Non itaque novo consilio deus humanis rebus nec sera miseratione consuluit. sed a constitucione mundi unam eandemque omnibus causam salutis instituit. Gracia enim dei qua semper est universitas iusti